



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theses Theologicae De Homicidio

Huygens, Gommarus

Lovanii, [1684?]

Conclusio Decima. In compendio exhibetur duplex doctrina principalis
harum Thesium.

urn:nbn:de:bvb:12-bsb10951915-6

numero eas opiniones suffulciant, quas uti sanguinarias antiquiores Ecclesiae Magistri
proscribere? Profecto novi Theologiae Magistri, qui non sine proborum scandalo
docuere licitum esse occidere detractorem nostrae famae, immane ac crudele assertum
inde deducunt, quod honor pluri faciendus est quam vita, & cum pro hujus defen-
sione licitum sit insidiantem atque vim inferentem occidere, potiori ratione non erit
reus criminis, qui pro honore defensando, si nullus sit alius evadendi modus, calum-
niantem obtruncat. Haec atque longe plura vir ille eruditus protulit, quae quidem alteri
etiam insinuasse testatus est, qui ea postea quoque typis excusa vulgavit. Faceat igitur
Novorum Casuistarum timor, suos illis relinquamus Tamburinos & Bannios, nos Am-
brosium & Augustinum audiemus, cum quibus gloriae vertetur non modo sapere, ve-
rum etiam iudicibus Casuistis, errare.

CONCLUSIO DECIMA.

In compendio exhibetur duplex doctrina principalis harum Thesium.

Deus ante legem Gen. 9. & in lege Exodi 20. prohibuit homicidium. *His igitur ex-
ceptis, quos vel lex justa generaliter, vel ipse fons iustitiae Deus specialiter occidi jubet, quis-
quis hominem vel seipsum, vel quemlibet occiderit, homicidii criminis innoxius.* Aug.

S. Augustinus ibidem ex Scriptura Sacra assignat tria exceptionum exempla, quorum 1.
In illis qui Deo auctore bella gesserunt. 2. In iis qui personam gerunt publicae potestatis. 3.
In istis qui ex speciali Dei iussione hominem occidunt: uti paratus erat facere Abraham.

Qui praetendunt alias exceptiones, ex. gr. ob *calumniam*, pro conservatione *unius auri*,
vel eorum ad quae *jus inchoatum habemus*, debent illas exceptiones, quemadmodum fecit
Augustinus, ostendere. Similiter ostendere debent, qui pro defensione facultatum etiam
magni momenti, ut vocant, licitum censent occidere invasorem. Par-obligatio incum-
bit afferentibus, licitam esse voluntariam occisionem invasoris vitae.

Sed haecenus nullus probavit, quod aliqua istarum exceptionum divinitus facta sit:
ergo dici non potest, quod in ullo istorum casuum liceat hominem voluntarie occidere.
Et in his consistit una principalis doctrina harum Thesium.

SS. Augustinus, Cyprianus, Ambrosius, & ut omnino nobis persuasum habemus, etiam
S. Thomas, item Bernardus cum pluribus aliis SS. Patribus, qui ab aliis citantur, docent
illicitum esse, voluntarie occidere invasorem vitae.

Sententiae SS. Patrum non repugnat lex, *Si effringens fur domum*, Exodi 22. cum solum
praescribat quibus occisoribus infligenda sit poena mortis per iudicem, adeoque nec repu-
gnat explicationi legis quam habet Augustinus, Item Cap. *si perfodiens*.

Non obstat etiam Cap. *significasti* 2. de Homicidio, quatenus concedit vim vi repellere
servato moderamine &c. quia qui voluntarie alterum occidit, non mere repellit aggres-
sorem, quia non tantum defensiva, sed etiam aggressive in hoc se habet; non servat pro-
inde moderamen inculatae tutelae.

Non repugnant Cap. *inofficium* de homicidio, neque Cap. *si vero*, 1. de sentent. ex-
communicat. nec *Clement. unica* de homicidio, cum ex his tantum habeatur, quod homi-
cidia pro defensione vitae in quibusdam personis non debeant puniri, quod non sint casus
reservati, aut quid simile; adeoque in illis Capp. potius de poena quam de culpa agitur.
Et haec est altera principalis doctrina harum Thesium.

Porro si ex his omnibus habeamus quod non liceat aggressorem vitae occidere, sequitur
quod non liceat invasorem facultatum, honoris &c. Adeoque quaestione sic decisa de
occisione invasoris vitae, ultra non inquiremus an liceat occidere invasorem facultatum,
honoris, &c. sicut ob similem rationem non quaesivit S. Thomas.